



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio L. In qua de Satisfactione Sacramen:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

sum, pro quo vi: *Rodriq; in Compend;*  
*ver: Confessio & alios Canonis:*

## QUÆSTIO L.

De Satisfactione Sacramentali.

*Vicar.* **L** Egiltinè in *Sac: Concil: Trid:*  
*Sess: 14. Can: duodecimum?*

*S. Legi & est iste: Si quis dixerit totam  
 penam simul cum culpa remitti semper à  
 DEO, satisfactionemq; Pœnitentium non  
 esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt  
 Christum pro eis satisfecisse, anathema sit,  
 V. Ergo per absolutionem Sacramenta-  
 lem non semper remittitur tota pœna  
 temporalis?*

*S. Non: hinc idem Sac: Conc: Sess: 6. c.  
 14. dicit satisfactionē, quæ est pars Pœ-  
 nitentiæ, esse pro pœna temporalis, quæ  
 (ût Sacræ Scripturæ docent) non sem-  
 per tota dimittitur.*

*V. Declara, quid sit satisfactio, quæ est  
 Sacramenti Pœnitentiæ materialis pars  
 tertia?*

*S. Est. voluntaria pœna à Confessario in-  
 iuncta*



inuncta toleratio, ad compensandam injuriam DEO per peccatū illatam, & ad redimendam graviores pœnam promeritam.

V. Tenetur nē Confessarius semper aliquam Pœnitentiā injungere Pœnitenti?  
S. Ordinariē quidem tenetur, non enim debet Sacram Pœnit: absque legitima causa privari suā parte integrali, non tamen *semper*.

V. Cur non semper?

S. Quia ( ut patet ) subinde Pœnitens non est capax exequendæ Pœnitentiæ, ut si sit moribundus, aut sensibus destitutus &c. & licet esset capax illam exequi, interdum tamen non est necesse illam imponere.

V. Si Pœnitens post acceptam absolutiōnem dicat, se hoc vel illud peccatum oblitum fuisse confiteri, poterit nē Confessarius eum de novo absolvere absque nova Pœnitentia?

S. Poterit, extendendo *tacitè & mentaliter* priorem, etiam ad illud peccatum ( si tantūmodo veniale fuit ) si autem

M m 2

pec-



peccatum adjectum post absolutionem fuerit mortale, debet Confessarius, vel novam Pœnitentiam pro eo imponere, vel *explicitè* extendere priorem, dicendo Pœnitenti: *pro hoc, & pro prioribus peccatis fac Pœnitentiam antè injunctam.*

*V.* Qualem autem existimas Pœnitentiam injungendam esse Pœnitenti?

*S.* In impositione Pœnitentiæ, non solum habenda est ratio peccatorum, sed etiam personæ Pœnitentis, in cujus utilitatem hoc Sacramentum est institutū; quare licet contraria contrarijs optime curentur, adeoque Pœnitentia sit optima, si peccato fuerit directè opposita, puniendo scilicet peccata carnis per jejunia, & alias carnis afflictiones, peccata avaritiæ per eleemosynas, acediae per orationes &c. nihilominus hæc omnia pro conditione Pœnitentis sunt attemperanda, non injungendo pauperibus eleemosynas, debilibus asperas carnis afflictiones, vel illis, qui per ejusmodi Pœnitentias opere impletas, apud



pub domesticos incurrerent suspicio-  
nem alicujus gravis peccati in Confes-  
sione explicati &c.

V. Dices utique, quòd prudens Confes-  
sari<sup>9</sup> poterit quandoque imponere Pœ-  
nitentias minores, quàm exigat magni-  
tudo, vel multitudo peccatorum,

S. Dico, juxta statum & conditionem  
Pœnitentis, ut si Confessarius advertat  
Pœnitentem valde contritum, vel tem-  
pore indulgent: item si Pœnitens sit op-  
pressus magnà paupertate, morbis, aut  
alijs ærumnis, tunc enim poterunt illi  
hæc ipsa patienter toleranda pro satis-  
factione imponi. Item: si per Pœniten-  
tias minores alliciatur Pœnitens ad fre-  
quentiores Confessiones, item, si ipse  
Confessarius velit per sua bona opera,  
& mortificationes pro Pœnitente satis-  
facere; denique, si prævideatur Pœni-  
tens non impleturus pœnitentiam gra-  
viorē, tunc enim hortantur quidam  
Theologi sequendum esse regulam se-  
quentem: *meliùs est cum parva Pœnitet-*

M m 3 *tia*



*tia verisimiliter implenda, ad purgatorium mittere confessos, quam cum magna non implenda precipitare in infernum.*

**V.** Nonnè etiam quandoque Confessari<sup>9</sup> injungere potest opera aliunde debita, v. g. jejunium aliquod Quadragesimale &c.?

**S.** Potest: imò juxta aliquos etiam opera purè interna, ideò, quia tales actus interni fiunt sufficienter sensibiles per impositionem Sacerdotis, & acceptationem Pœnitentis, & consequenter possunt esse pars integralis Sacramenti. Potest etiam Confessarius (juxta quosdã) pro Pœnitentia injungere susceptione Matrimonij illis, quos judicat non posse aliter liberari à peccatis carnalibus: potest etiam quasdam Pœnitentias injungere sub conditione & in eventum, v. g. quotiescunque in hoc, vel illud peccatum relapsus fueris, osculaberis terram, vel dabis eleemosynam &c. Potest etiam quandoq; Confessari<sup>9</sup> imponere Pœnitentiam implendam per aliq;

ju-



juxta aliquos Theol: v. g. (peregrinaberis ad hunc Sacri locu, vel per te, vel per aliu) quia adhuc censebitur talis peregrinatio esse moraliter actio Pœnitentis, cum ejus nomine fiat. ( Pœnitens tamen juxta decret: Alexand: VII, non potest propria auctoritate substituere alium, qui loco sui Pœnitentiam adimpleat. )

V. Cur non?

S. Quia cit: Sac: Concil: Sess: 14. c. 8. præcipit Confessarijs, ut Pœnitentibus satisfactionem imponant, non solum ad novæ vitæ custodiâ, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam & castigationem, si autem Pœnitens propria auctoritate posset satisfactionem sibi impostam alteri committere, non esset imposta ad peccatorum vindictam, & castigationem, nam si Confessarius imponat Pœnitenti jejunium, & ille possit hoc alteri committere, non vindictam sumeret, nec castigationem peccatoru, sed alter: Præterea satisfactio ex eod:

M m 4

Cor-



*Concil:* non solum imponitur, ut peccator revocetur à peccatis, quæ satisfactio est veluti quoddam frænum, quod coërcet & retinet à novo lapsu, redditque hominem vigilantio rem in futurum, verum datur etiam, ut peccatorum reliquæ tollantur, & mali habitus destruantur, atqui hæc non præstantur, quando satisfactio, seu Pœnitentia per alium impletur; mali namque habitus tolluntur per proprium exercitium bonarum actionum satisfactoriarum, quod exercitium non ponitur, dum Pœnitentia per alium propriâ Pœnitentis autoritate persolvitur, *ergo &c.*

*V.* Putasne, quod Confessarius possit commutare Pœnitentiam injunctâ ab alio? *S.* Existimo quemlibet Confessarium posse commutare Pœnitentiam, non solum à se injunctam in priori Confessione, sed etiam injunctam ab alio Confessario: æqualis, aut inferioris potestatis: & ratio est, quia Pœnitens habet jus repetendi suam Confessionem, & posterior

Con-



Confessarius potest pro sua prudentia taxare justas pœnas, ergo in arbitrio Pœnitentis erit, ex duabus Pœnitentijs exequi, quam voluerit.

V. Potestnè autem illam commutare, etiam non auditâ priùs Confessione præcedenti Confessario factâ?

S. (*Quidquid dicant aliqui*) iudico probabilius, quòd non possit, quia non potest prudenter taxari Pœnitentia pro delictis, nisi per Confessionem habeatur notitia ejusmodi delictorũ, pro quibus injuncta fuit.

V. Dixisti suprâ, Confessarium ordinariè obligatum esse aliquam Pœnitentiam injungere Pœnitenti, adeòque Pœnitens tenebitur etiam eam ordinariè acceptare.

S. Omninò, quando justa est, & Pœnitens non vult uti privilegio petendi commutationem illi<sup>9</sup> ab eodem, vel ab alio Confessario, hinc præcipit Ecclesia, ut Pœnitentes injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeant adimple-

M m § rc;



re; ( an autem in aliquo casu speciali possit, Pœnitens non acceptare Pœnitentiam sibi à Confess: impositam, sicque constitutus, seu non acceptans sit absolvendus? vi: *Scotum* in 4. dis: 15. q. 1. l. N. & d. 19. §. *ad questionē motā* lit. D.)  
 V. Occurrit dubium. An videlicet Pœnitens ipse possit suam Pœnitentiam in melius commutare, non ab alio, sed à se exequendam?

§. Quidam apud *Dianam* p. 1. *Tract:* 15. & de *Sacram:* resol: 53. & p. 10. *Tract:* 16. resol: 25. defendunt partem affirmativam, eo fundamento ducti, quia quoties quis abundantiorē offert solutionem pro debito, ad quam ex lege, vel præcepto, vel quovis modo est adstrict<sup>o</sup>, legem, vel præceptum abundantius implet, ast communis est sententia opposita nempe, quòd Pœnitens nullo modo possit suam Pœnitentiã in quodvis melius commutare, ex hac ratione, quia Pœnitentiæ commutatio est actus jurisdictionis proprius ipsius Confessarij.



rij, ut Superioris & Judicis, atqui Pœnitens erga seipsum non potest exercere jurisdictionem, maximè hanc, quæ est actus clavium, ligandi scilicet & obligandi ad ponendam Pœnitentiam, ergo &c. Tum quia ad quem spectat Pœnitentiæ seu satisfactionis impositio, ad illum ( nempè Confessarium ) pertinet etiam illi<sup>o</sup> commutatio, ac proinde non poterit fieri ab ipsomet Pœnitente, videlicet Sanchez in præcep: lib: 4. c. 11. n. 36. Nec verum esse videtur, quòd abundantius legem, vel præceptum impleat, qui abundantior pro debito offert solutionem, cum præcepti natura & legis conditio rem præceptam exigant, nec voluntati subditi relinquunt, quòd rem meliorem offerat.

V. Nunquid vovens potest suum votum in melius commutare, prout communis tenet opinio, & tamen vovens tunc non exercet jurisdictionem spiritua-lem in seipsum, nec fit sibi metipso superior, ergo etiam satisfactionem sibi à

M m 6

Con-



Confessario impositam poterit in melius commutare, absque eo, quod exerceat jurisdictionem spirituale in seipsū. S. Diversa est ratio voti & satisfactionis, nam votum est obligatio, quam sibi vovens imponit in gratiam illius, cui vovet, ac proinde, si vovens judicat se magis illi placiturum, in cuius gratiam vovit, per opus melius, poterit in illud votum suum commutare; ast satisfactio, seu Pœnitentia est opus præceptum, includens exercitium obedientiæ, non est autem exercitium obedientiæ, quando homo pro suo operatur arbitrio & pro sua voluntate, non secundum iudicium & voluntatem Superioris, seu Confessarij: si enim semel illi, cui præceptum datum est, posset illud commutare, multa sequerentur inconvenientia, posset namque quis jejuniū sibi præceptum in Missæ auditionem, quod non est dicendum, neque audiendum, commutare, cum Missæ auditio sit quid melius jejuniō &c. præcipiens

re-



requirit rem meliorem, sed rem præceptam. (gratiæ?)

V. Debetne satisfactio impleri in statu  
S. Quòd ad integritatem Sacramenti, &  
ad satisfaciendum obligationi sufficiat,  
si Pœnitentia impleatur in statu peccati  
mortalis, de novo comissi, non est con-  
troversia inter Theolog: difficultas ni-  
hilominùs exurgit quoad effectum, an  
videlicet satisfactio adimpleta in mor-  
tali valeat ad remissionem pœnæ tem-  
poralis? affirmant Scoti: negant Sequa-  
ces Doct: Angel.

V. Ergo effectus Satisfactionis Sacra-  
mentalìs est remissio pœnæ temporalis,  
remanētis ex peccatis jam condonatis.  
S. Sic est: & quidem cum quibusdam  
auxilijs supernaturalibus ad faciliùs  
præcavenda peccata in futurum.

V. Expressisti alibi, quomodo tractan-  
dum sit cum Pœnitente, Pœnitentiam  
in præcedenti Confessione sibi injun-  
ctam non adimplente; dic mihi adhuc,  
quale peccatum sit omittere, vel differ-

re



re finè legitima causa Pœnitentiam?  
 S. Videtur quòd omittere finè causa  
 quamlibet Pœnitentiam sit peccatum  
 mortale, eò quòd gravis committatur  
 irreverentia erga Sacramentum, si finè  
 legitima causa mutiletur & privetur  
 suà parte integrali; attamen lego apud  
 quosdam Theologos, non cujuslibet  
 Pœnitentiæ omissionem mortaliter esse  
 peccaminosam, sed tantùm fore talem,  
 si omittatur pœnitētia gravis, aut nota-  
 bilis ejus pars pro mortalibus peccatis  
 imposita, quòd si Pœnitentia fuerit pro  
 solis venialibus, vel mortalibus antè  
 confessis imposita, aut levis pro morta-  
 libus nunquam confessis injuncta, tunc  
 omissionē fore venialiter tantùm pec-  
 caminosam; sic etiam discurrunt de di-  
 latione Pœnitentiæ finè legitima causa,  
 quando Confessarius injungit Pœnitē-  
 tiam intra certum tempus peragendā,  
 ità ut dilatio Pœnitentiæ magnæ pro  
 mortalibus injunctæ sit futura mortali-  
 ter peccaminosa, dilatio verò Pœnitentiæ

riæ



tiae parvæ pro mortalibus, aut magnæ, sed pro solis venialibus, vel etiam mortalibus, sed jam confessis, peccaminosa duntaxat venialiter.

V. Apparet mihi, quòd Confessarius interveniente necessitate, est ò non habeat facultatem absolvendi à reservatis, possit nihilominùs commutare Pœnitentiam impositam à Confessario superiore, pro peccatis reservatis.

S. Potest; advertunt autem hìc nonnulli, quòd nova Pœnitentia, quæ imponitur, debeat adæquare priorem iudicio prudentis: poterit etiam Confessarius commutare Pœnitentiam præservativã, quando jam cessavit ejus necessitas, ut si quis v.g. habuit pro pœnitentia præter aliud op<sup>o</sup>, nè transeat per talẽ viam &c. propter occasionẽ oblatã peccandi per curiosum aspectũ, supposito nãq; quòd occasio cessaverit, Pœnitentia nedum commutari, sed etiam tolli poterit.

V. Sic satis; laudetur SSS. ac individua TRINITAS. S. Et nunc & in perpetuũ.

O. A. M. D. G.